



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetii, 1647**

De S. Bartholomaeo Apostolo quaestio, an sit idem, qui Nathanael.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

# S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.



RATIAS acturi Sancto Apostolo Bartholomeo, quo auspice; in die Festo eiusdem, scribere capimus de sacris ritibus, eā quæstionem examinādam duximus, quæ in summam eiusdem laudem, si piē senseris, definiri potest.

Vnica igitur esto laus, summa, & vera laus, qua à Christo Domino laudatus ille fuit, ijs verbis: *Ecce vere Israelita: in quo dolus non est.* *Ioan. 1.* At, in quies, de Nathanaele fuit dictum. ita est: sed Nathanaelem eumdem esse, ac Bartholomeum, in summam vtriusque laudem facile persuademus, tripli probato axiomate.

**P**rimum est: *Nathanaelem fuisse de num. 12. Apostolorum.*

Primò. Quia *Ioan. 21.* manifestauit se Christus tertio discipulis suis ad mare Tyberiadis, quibus discipulis: si latè vocabulum sumas, erit quinta apparitio, vel saltem quarta, si propriè Apostolos intelligis, tercia vere est: at inter hos Discipulos adiuit Nathanael, ut *ibidem.* ergo Apostolus erat.

Secundò. Discipulus erat, ex loco citato, non de numero 72, quos numerat S. Dorotheus. ergo de duodecim.

Tertiò. Cur non Apostolus ille, qui post Andream, Petrum, & Philippum quarto loco Christum nouit? neque Ioannes Euangelista nominat sociū Andreae, quo cum iuerat ad Christum: nominat autem Nathanaelem socium Philippian gratis? puto, quod illum tacuerit, hunc nominauerit cum Apostolis primis, vt priorum Apostolorum scriberet vocacionem. &, sicuti vocatio secunda, de qua *Matth. 4.* fuit quatuor Apostolorum,

ita non sine mysterio indicare voluit, quod & prima vocatio quatuor item fuit Apostolorum.

Quartò. Ante omne miraculum, & omne beneficium, confessus est Nathanael, Christum esse Filium Dei, *Ioan. 1.* reuelante Deo, ut aiunt Tertull. *adver. Praxeam.* Iren. *lib. 3. cap. 11.* August. in *Ioan.* cum ergo ob eamdem cōfessionem tardius emissam à Petro, fuerit hic constitutus Apostolorum Princeps; quis neget Apostolum, si minus Apostolorum Principem, Nathanaelem fuisse? est argum. Ruper. Abbatis.

Quintò. Laudatus à Christo super alios de innocentia, sine dolo, meretur primas inter primos Christi discipulos; Christo similior alijs, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, *1. Petr. 2.*

Sextò. Promisit illi Christus visionem Angelorum super filium hominis *Ioan. 1.* quæ accidit in horto Gethsemani, ubi certè non conuenere, nisi Apostoli, octo remotius, tres propius Christo Domino.

Septimò. Fuit ille de Cana Galileæ, *Ioan. 21.* ergo verisimiliter tertia die ab eiusdem vocazione, qua facte fuerunt nuptie, vñā cum alijs Discipulis nuptiis interfuit; & fuit testis primi Christi miraculi in Cana Galileæ, fuit etiam ultimi oculatus testis, miraculose scilicet pīscationis. *Ioan. 21.* nec deinceps ullum illud narratur Christi miraculum. querit autem Petrus, ut Iude sūfficiatur alter, qui testis esse queat, ex quo intravit, & exiuit inter Apostolos Christus *I E S V S*, hoc est, omnium ferè miraculorum Christi, à baptiſmate eiusdem, usque ad Ascensionem. quis ergo aptior Nathanaele? at cur neque nominatur cum Matthia, & Bar-

Bartsbar non alia de causa, quia ian. erat  
ille de duodecim.

Octauò: In Graeco Martyrologio ins-  
tit Basilij Imperatoris conscripsi, qui  
imperare cœpit anno 887. habentur  
haec verba: Aprilis 22. S. Nathanael A-  
postoli memoria.

Nono: in Canone Misse Äthiopum  
nominatur Nathanael tanquam unus de  
duodecim Apostolis.

Obiectes: Sanctum Augustinum ne-  
gare, Nathanaelem inter Apostolos suis-  
te: quia legis inquit, peritus erat. idem ex  
August. docet S. Gregor. sed, pacé tanto-  
rum virorum (cum in historia velemur)  
ratio non concluditum quia Nathanael  
piscator erat & ipse. Ioan. 21. tum quia  
ex dialogo Philippi cum Nathanaele:  
Quem scripsit Moyses in legi, & Prophè-  
tus. hunc inuenimus I E S U M filium Ioseph a Nazareb: non minus inferitur  
Philippus legis peritus, quam Nathanael.  
immo magis peritus Philippus apparet;  
quia Nathanael ex texto Augustini, qui  
legit affirmatio sequentia illius verba:  
A Nazareb potest aliquid boni esse: pe-  
ritorum eius temporis iudicio, imperitus  
legis iudicatus fuisset; cum inter peritos  
legis illud esset vulgatum Ioan. 7. Scruta-  
re scripturas, & vide quia à Galilea (in  
qua est Nazareth) Propheta non surgit.  
quod si cum Vulgata legas interrogati-  
vę, & dubitaueris: à Nazareb potest ali-  
quid boni esse? si dubitat ille, nescit. De-  
finique, si valet ratio Augustini, Paulus ab  
Apostolatu peritissimus legis erat exclu-  
dendus.

**A**ltetum axioma est: Dato, quid  
Nathanael fuerit Apostolus, certe  
non alius fuit à Bartholomeo, Docent  
hoc Rupert. Abb. in Io. qui ex reuelatione  
scriptisse multa fertur, ut ait Pan-  
carola longe citando, & primus ille hoc  
asseruit: quem deinde sequuntur sunt Io.  
Ferus in serm. Corn. Ius Ianien. in Con-  
cordia, Onuprius Patruin. in Fastis,  
Atias Montanus, Franc. Pancarola in  
Concion. qui & communem esse hodie  
sententiam testatur, Petrus Galosinius,

Ioan. Oforius in Cenc. Nicolaus Serra-  
tius de 12. Apostolis, Alphonsus Caco-  
nius De vitiis Pontificum, & alij. Cen-  
tura est: primo ex eo, quod Philippus,  
& Nathanael à Ioan. cap. 1. coniungun-  
tur: Philippus item & Bartholomeus  
à Matthæo cap. 10. à Marco cap. 3. à Lu-  
ca cap. 6. coniunctum nominantur. tum  
ex eo, quod à Io. quarto loco nomina-  
tur Nathanael post Andream, Petrum  
& Philippum: Bartholomeus item quar-  
to loco ab alijs Euangelistis. nam, licet  
preferantur Philippo Iacobus, & Ioan-  
nes à Matthæo, Marco, & Luca; id tamen  
est, vel quia de ijs narrant ob mutatio-  
nem nominum cum Petro; vel ob eo-  
rum secundam, quae solida fuit & per-  
seuerans, vocationem. confimat ex  
eo, quod Ioseph minimus apud Surianos  
focios facit prædicationis, & comites  
peregrinationis, Philippum & Bartholo-  
meum. Præterea in Catalogo Aposto-  
lorum Mat. 10. Marc. 3. Luc. 6. (quod  
egregie adnotauit Pancarola) quamvis  
aliquantisper mutetur ordo; semper ta-  
men primi septem sunt idem, inter  
quos Bartholomeus; ultimo vero loco  
semper reliqui quinque recensentur. eiu-  
sus rei ratio omnium Doctorum com-  
munis est: quia isti quinque ultimi non  
habent in Euangeliō speciales voca-  
tiones descriptas, vii de iis septem habe-  
mus in Euangeliō. quod si Matthæus  
nominet prius Thomam, quam Mat-  
thæum, id fecit modestie causa. solus  
enim dicit, Thomas, & Matthæus; alij  
vero dicunt, Matthæus, & Thomas. si  
ergo eorum septem descripta est spe-  
cialis vocatio, vbinam habeunt Barthe-  
lomæi: certe in vocatione Nathanaelis,  
qui idem est cum eo. Genere Galilei  
erant Apostoli omnes, Act. 2. & Natha-  
nael est de Cana Galileæ. Piscatores se-  
riè omnes: & quidem Bartholomeus pi-  
scator erat, ex Theodoreto lib. de legi-  
bus, & Metaphraste: Nathanael autem  
cum alijs initatus à Petro dicente,  
Vado pescari, respondit: Venimus &  
nos tecum. ergo piscator erat. sed  
demus etiam, doctissimum fuisse  
Natha-

Nathanaelem, &c in lege peritissimum; concordat cum doctrina Bartholomei, de quo testatur Dion. cap. i. de mystic. Theol. doctissimum fuisse inter Apostolos, quæ comparatio non cadit super doctrinam reuelatam, sed super acquisitam, in qua excelluit Nathanael, & Bartholomeus.

**A**liæ sunt coniecturæ, quod Baronius Anno 78. resert obitum utriusque, Nathanaeli, Bartholomæi. si enim annis diversis obiissent, eamdem fuisse personam negaremus. neque in Historijs Ecclesiasticis diuersum aliquid reperitur, quod indicet duos fuisse viros. si quid scribant alijs explica, vt dicemus in 3. Axiomate. Idem confirmatur ex genere mortis; nam Bartholomæus ex Commentariolo Hippoliti, Metaphraste, Nicephoro lib. 2. cap. 39. & apud Græcos in Martyrologio supra citato, affixus fuit Crucis, sicuti Petrus, Andreas, Philippus primo vocati. si ergo est idem cum Nathanaele, congruit affixio eiusdem Crucis, vt primi quatuor vocati in passione Christi per Crucem initanda sint æquales: & forte inde est, quod cum Petro, Paulo, & Andrea nominatus fuit Bartholomæus in Oratione secreta Missæ, Libera nos, post Orationem Dominicam; quod notauimus in primo tom. pag. 154. Crucis enim Dominicæ, quam Missa representat, insigni modo quatuor hi fueruero consortes. Quod si apud Latinos decorticatus credicatur, potuit accidere virumque, iuxta Lypsum de Cruce, lib. 3. c. 12. vbi tradit, quod ab Ægyptijs, & Persis excoriabantur in Cruce: a Persis autem excoriatum fuisse Barthol. scribit Paninus in Fastis. sed & Armenia maior non longe distat à Persis, in qua obiisse fertur, ex Breu. Venetijs impresso 1621. legitur excoriatio Bartholomæi facta in Cruce: & expresse idem docet Guillelmus Eysengreinanus Centur. 1. par. 5. dist. 7. cum Petro de Natali in Historia Sancti Bartholomei. quib. positus, vide, an Christus hoc ei genus

prædixerit mortis; quando dixit: Vidi te sub Ficu, Ioh. 1. sub qua Ficu? de qua Ioh. 1. Ficum meam decorticauit, albi satellit rami illius. quem locum S. Tho. Aquinas in Serm. explicat de S. Bartholomæo: & in ramis albis contemplor ego, quod Christus de eo testatus est: in quo non est dolus.

Obijcies canonem citatum missie Aethyopum, in quo expresse, & distinctè nominantur Bartholomæus, & Nathanael tamquam duo Apostoli de duodecim; ergo, &c. Respondeo ibi nominati Nathanaelem pro Simone Cananeo, qui erat à Cana Galileæ, & opinari sunt Aethyopes eundem esse cum Nathanaele, qui erat & ipse à Cana Galileæ Ioh. 21. Quæ opinio minus habet fundamenti, quam nostra, ex prædictis, sed & idem canon haber tres Iacobos, maiorem, minorem, inter Apostolos, & tertium extra eosdem, Episcopum Ierosolymorum, fratrem Domini, quem tamen Apostolum vocat S. Paulus Gal. 1. Quare Canon. Aethyopum minimè nos urget.

**T**ertium axioma est: Nathanael primum nomen esse: Bartholomæus cognomen eiusdem viri: ita, ut Iohannes Iesus fuerit semper nomine proprio: ceteri cognomine, & hoc modo conciliantur Evangelistæ inter se, sine incurrâ nostræ sententiae.

**P**rima pars huius axiomatis facile probatur, quia Nathanael Hebræu nomen viri est, & ex modo loquendi proprium est nomen: ut videre est, Numer. cap. 1. 2. 7. 10. Et 1. Paral. 2. 15. 24. 26. 2. Paral. 17. 35. 1. Esdr. cap. 10. quod interpretatum significat: Donum Dei:

**A**ltera pars: Bartholomæus cognomen est: patet. Tum quia vox Syriaca, & significat, filium suspéndentis aquas. vnde, cum esset Nathanael, ait Ruper. de Cana Galileæ, ex Ioh. 21. in qua Christus conuertit aquam in vinum, Ioh. 3. conicitur, inditum illi fuisse hoc cognomen: tamquam filio Christi suspéndentis aquas, & elauantis ad formam vini. sicuti Iacobus, & Ioan. dicti sunt Boanerges, filii thotiorum. quamquam hi à Christo cognominati

mìnati fuere, ille à ciuibus, eo quod Christo addictus fuit ex multis eiusdem loci incolis. Tùm quia Bartholomæi est idem ac filius Tholmai, vel Tholomai. certum est autem, Tholmai esse virti nomen. *Num. 13. Ios. 15. Iud. 1. 2. Reg. 15. 1. Paral. 3.* item Tholomai *2. Reg. 13.* conformasse Pater Nathanaelis vocabatur Tholmai, vel Tholomai. Similia cognomina habes inter Apostolicos viros. *Bartonia*, seu *Bariomna*, filius Ioannis, *Simon Ioannis diligis me?* *Ioan. 20.* Barnabas, qui vocabatur Joseph. *Act. 4.* cognominabatur Parnabas, ait Lucas. Bar-sabas, qui & Joseph. *Act. 1.* Battimæus, filius Timæi. *Marc. 10.* quid apertius? Elymas etiam magus cognominatur Bar-sieu. *Act. 3.* ergo pari modo Bartholomæus cognomen erat.

**T**ertia pars axiomatis explicatur. nā aliqui binomij sèpius cognomine, quām nomine appellantur: vt Barnabas, qui Joseph; & Marcus, qui Ioannes. *Act. 12.* Petrus, qui Simon; & Matthæus, qui Leui à Luca vocatur proprio nomine; *cap. 5.* Thaldæus, qui & Iudas. quare primi tres Euangelistæ communiori vñ sunt cognomine, Bartholomæi, Ioannes vltimus, qui recondita scripsit, Nathanaelis, nomine est vsus: & ea lege, vt ij. num quā nomine, Nathanaelis, hic nunquam cognomine, Bartholomæi, sit vsus qua ratione tollitur repugnantia, & facillimè conciliantur Euangelistæ.

Ceterum, quando ij non sint idem, nō possum non mirari, Nathanaelem, laudissimum à Christo virum, Iacobo Patriarchæ, Israeli (qui vidit angelos ascendentēs, & descendentes) assimilatum, innocentia præclarum, testem primi, & postremi miraculi à Christo editorum, in hoc mundo, cui promissa fuit Angelorum visio super filium hominis descendentium, ita à Deo ipso deinde negletum, vt neque corpus honoretur interris, neque nomen habeatur in Martyrologijs: in quibus, si bene obserues, nomina leguntur eorum omnium, vel minorum, quorum fit mentio in Euangelij, vel in Actibus, vel in Epistolis Apo-

stolorum: quid ergo causa est, vt n ibi de Nathanaele aut scribatur, aut commoretur, nisi quia de eodem dicimus, cum de Bartholomæo loquimur?

Noui, quid de Nathanaelis predicatione, & sepultura scriperunt Fl. Lucius Dexter (si tamen est ille auctor, quod non creditur) Vincentius Beluac. *in speculo Hist. & Equillinus lib. 1. cap. 9.* sed cum ille prior, à quo alij, eum dicat obiisse Anno Christi 105. Baronius autem obiisse Nathanaelem scribat anno 78. quo & Bartholomæus, quis non videat, duos fuisse Nathanaeles? nos autem de seniore loquimur, quem cum iuniore illi confundunt: & in re incerta abundare quisque potest in sensu suo.

Verè Israelita Bartholomæus fuit, Iacobo similis, qui dum luctaretur cum Deo, hoc est, dum oraret ( si Hieronymo credas) Israel est cognominatus. orabat autem ille centies in die, centies in nocte, non modo post Apostolatum, sed etiam antequam Christi esset discipulus, qui ideo tunc temporis Israelita fuit appellatus à Christo.

Adhuc, *Israel*, sonat ex Hieronymo, Princeps cum Deo: si ergo Princeps cum Deo fuit Nathanael, certè inter eos Princeps Ecclesiæ annumerandus erit, de quibus Dauid; *Constitues eos Principes super omnem terram:* quem versus de Apostolis explicat Ecclesia. Fortis etiam cum Deo; communiter hanc vocem, *Israel*, interpretantur; quia Iacob oratione vicit Deum; & oratione, vt dictum est, centies in die, & centies in nocte, vicit Deum Bartholomæus.

Denique eidem promissa fuit scala Iacob; per quam ascendebant, & descendebant Angeli. *Ioan. 1.* quod in Bartholomæo est adimpletum: qui cœlestis Doctrinæ, & Euangelij quasi scalam ascendens, & descendens vñ cum alijs Theologis, velut Angelis de Deo enarrantibus, formauit inde ad agnum illud, quod à Dion. 4. *de diuinis nominibus tribuitur Bartholomæo: Euangeliū,* aiebat ille, *magnum est, & latum: rursum paruum, & concisum:* quia verè ascendimus, & desce-

descendimus in doctrina sublimi, & humili Christi Domini nostri.

Hec scriptisse voluimus, grati animi ergo, in eius laudem, cuius traditum nobis cognomen sicut nomen, & omen, à die septima Octobris 1587. quo scilicet

habitum regularem S. Pauli vna cum nomine decorticati Bartholomai quam latissime suscepimus. quod si ad predicta probanda non possunt singula, multa inveniunt. Boni consule, amice lector, & Vale.

### Oratio dicenda ante diuinum Officium.

**A**peri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum mundum quoque cor meum ab omnibus vanis peruersis, & alienis cogitationibus intellectum illumina, affectum inflama; ut dignè, attente, ac deuotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiiri merear ante conspectum diuinæ Majestatis tue. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Domine in visione illius diuinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolnisti, has tibi Horas persolu.

Orationem sequentem deuotè post Officium recitantibus, Leo Papa Decimus defectus, & culpas in eo persoluendo ex humana fragilitate contractas indulxit.

**S**Acrosanctæ, & indiuiduae Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESVS CHRISTI humanitati; Beatissimæ, & Gloriosissimæ semperque Virginis MARIAE fecundæ integritati; & omnium Sanctorum vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula seculorum. Resp. Amen.

Vers. Beata viscera Mariae Virginis, quæ portauerunt aterni Patris Filium.

Resp. Et beata ubera, quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster. Ave Maria.

### L A V S D E O.